



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. LIII. Quòd gratia Dei non miscetur terrena sapientibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

tuetur homo à futura ira, & occurrunt sibi mutuò in osculo sancto, Deus & pœnitens anima.

Pf. 50. 4 Humilis peccatorum contritio, acceptabile tibi est Domine sacrificium, longè suaviùs odorans in conspectu tuo, quàm thuris incensum.

Luce 7. Hæc est gratum etiam vnguentum, quod sacris pedibus tuis infundi vo-

Pf. 50. luisti: quia cor contritum & humiliatum, numquã despexisti. Ibi est locus refugij, à facie iræ inimici. Ibi emendatur & abluitur, quidquid aliunde contractum est & inquinatum.

CAP. LIII.

Quòd gratia Dei, non miscetur terrena sapientibus.

FILI, pretiosa est gratia mea, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abiicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas eius infusionem suscipere. Pete secretum tibi, ama solus habitare tecum, nullius require confabulationem: sed magis ad Deum deuotam effunde precem, vt
 compun-

compunctam teneas mentem, & puram conscientiam. Totum mundum nihil æstima: Dei vacationem, omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare, & in transitoriis pariter delectari. A notis & *Mat. 19* à charis oportet elongari, & ab omni temporali solatio mentem tenere priuatam. Sic obsecrat B. Apostolus *1. Pet. 2* Petrus, vt tamquam aduenas & peregrinos in hoc mundo se contineant Christi fideles.

2 O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mūdo. Sed sic segregatum cor habere ab omnibus, æger necdum capit animus, nec animalis homo nouit interni hominis libertatem. Attamen si verè velit esse spiritualis, oportet eum renuntiare tam remotis quàm propinquis: & à nemine magis cauere, quàm à seipso. Si temetipsum perfectè vice-
ris, cetera faciliùs subiugabis. Perfecta victoria est, de semetipso triumphare. Qui enim semetipsum subiectum tenet, vt sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, & dominus mundi.

3 Si ad hunc apicem scādere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, vt euellas & destruas occultam inordinatam inclinationem ad teipsum, & ad omne priuatum & materiale bonum. Ex hoc vitio, quòd homo semetipsum nimis inordinatè diligit, pænè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est. Quo deuicto & subacto malo, pax magna, & tranquillitas erit continuò. Sed quia pauci sibiipsis perfectè mori laborant, nec plenè extra se tendunt, propterea in se implicati remanent, nec supra se in spiritu eleuari possunt. Qui autem liberè mecum ambulare desiderat, necesse est, vt omnes prauas & inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ, priuato amore, concupiscenter inhæreat.

CAP. LIV.

*De diuersis motibus naturæ,
& gratiæ.*

FILI, diligenter aduerte motus naturæ & gratiæ, quia valdè contrariè & subtiliter mouentur: & vix, nisi